



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XXII. De absolutionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](#)


officia, sed clausis januis, & sine cantu ac campanæ pulsu, peragere licuit. Nonnumquam conciones pœnitentiales habitæ, confirmatio & viaticum datum, missa minus solemnis singulis dominicis, sed clausis portis & remotis excommunicatis, celebratae¹. Denique administratio pœnitentiaæ, minus solemnis Missa, quotidie; solemnis autem quater vel quinquies in anno festis celebrioribus permittebatur².

1) C. 43. X. de sent. excom.

2) C. ult. de sent. excom. in 6. & ibi glossa.

interdi-
ctum
ipso facto
incurri-
tur.

IV. POENA eorum, qui interdictum violant, est excommunicatio. Interdictum autem iisdem solemnibus ac excommunicatio pronunciatur, scilicet e scripto, expresso nomine & caussa inserta, præviisque tribus admonitionibus. His cærimoniiis non opus habet *cessatio a divinis*, quæ sine judicis decreto casu contingere potest, veluti si polluitur ecclesia. Sunt constitutiones, quibus interdictum ipso facto in certis casibus; sunt, quibus suspensio ratione clericorum stabilitur. Unde hæc distinctio, ut ipso facto vel ab homine, i.e. lege generali vel judicio particulari incurvantur, tribus hisce censuris, suspensioni, excommunicationi & interdicto communis est.



CAP. XXII. DE ABSOLUTIONIBUS.

I.

A quo pe-
tenda sit **S**UPEREST, ut dispiciamus, quibus mo-
dis censuræ tollantur. Eæ igitur, quæ a

judice pronunciatae sunt, non nisi eadem au- *absolutio*
ctoritate, i. e. ab ipso *judice*, ejus successore, *ab his*
delegato vel *superiore*, *jurisdictionem* *haben-*
te, *relaxari* possunt. Quæ a *lege* *infictæ*, a
judice *ordinario*, immo & a *presbytero*, qui
absolutionem *sacramentalem* *administrandi* *po-*
testate *gaudet*, *remitti* possunt: unde fere *ge-*
neralis *omnium* *censurarum* *absolutio* *præmit-*
ti *solent*. Sed *presbyter* ab eis liberare nequit,
quæ *episcopo* vel *papæ* *reservatæ* sunt. *Ex-*
communicatio *minor* per *quemcumque* *pres-*
byterum *approbatum* *tollî* *potest*, & *quilibet*
presbyter, *etiamsi* *approbatus* *non* *sit*, *in articulo* *mortis*, *ut* *omnia* *peccata*, *sic* *omnes*
censuras *remitttere* *potest*. *Absolutio* *autem* *de-*
bet esse libera, *nec* *magistratus* *vi* *compel-*
lere *debet* *presbyterum* *ad* *absolutionem*: *nam*
qui *absolutionem* *vi* *extortam* *impetrat* *novam*
excommunicationem *incurrit*: *quod* *sequiori-*
bus *temporibus*, *quibus* *rigor* *regnavit*, *sæpe*
*contigit*¹. *Quum* *censuræ* *correctionis* *caussa*
infligantur, *absolutio* *petentibus* *non* *denegan-*
da *est*, *si* *morem* *gerunt*, *ecclesiæque* *ac* *ei*,
quem *offenderunt*, *satisfecere*. *Sed* *novissime*
satis *visum*, *si* *jurejurando* *vel* *cautione* *præ-*
stita *id* *promitterent*.

1) *Conc. Trid. sess. 25. c. 3.*

II. ALIUD de *dispensatione* *irregulari-* *praeser-*
tatis *seu* de *restitutione* *clericis* *exauktorati* *di-*
cendum, *quæ* *jure* *peti* *non* *potest* & *cujus* *propiis*
exempla *veteroribus* *rariora* *fuere*. *Sed* *hodie*
irregularitates, *suspensio* *ac* *ceteræ* *censuræ*
eodem *censu* *habentur*, & *ob* *casuum* *ponti-*

fici reservatorum numerum immensum auctum
absolutiones frequentantur. Distinguendum
ergo inter censuras & irregularitates ob pec-
catum occultum & publicum, quod scilicet ad
forum contentiosum deferri potest. De occul-
tis, licet pontifici reservatis, episcopi absolu-
vunt auctoritate concilii Tridentini ¹: de pu-
blicis Romam eundum, aut Roma mandatum
ad episcopum vel vicarium generalem arces-
sendum. Quæ mandata in Dataria simplici
signature expediuntur & ab agentibus in
rebus eliciuntur. Eodem modo irregu-
laritatum publicarum dispensationes im-
petrantur: nam occultas etiam episcopus in
foro conscientiæ remittit, excepto homicidio
voluntario. Sed etiamsi clericus Romæ crimi-
nis veniam impetrarit, ea tantum delicti com-
munes pœnas sufflaminat; nam in casu privile-
giato nihilominus pœna locum habet, cui re-
mittendæ moribüs Francicis rescripto princi-
pis opus est.

1) *Jeff. 24. a. 6.*

absolutio
ad caute-
lam quid? III. Q U U M stricto canonum jure ex-
communicatus infamis sit, nec personam stan-
di in judicio habeat; anceps disputatio fuit,
qua ratione absolutionem petere posset. Una-
de natæ sunt *absolutiones ad cautelam* ¹. Qui
injuria se excommunicatum contendit, eaque
de re in prima aut secunda instantia discussio-
nem suscipere cupit, hanc absolutionem ante
omnia petit, quæ ad cautelam vocatur, quo-
niam qui validitatem excommunicationis im-
pugnat, absolutione opus non habet, nisi ad
cau-

cautelam, ne scilicet excommunicationis exceptio ei obmoveri possit. Ex eadem causa receptæ sunt *absolutiones generales* stilo curiæ usitatæ & singulis signaturis & bullis pontificiis insertæ, ad effectum beneficij impetrandi, ne provisio propterea nulla accusetur. Nam si impetrans revera excommunicatus esset, expressa absolutione opus foret. Ceterum absolutione numquam præsumitur, si vel maxime excommunicatio centenaria fuisset, quia est pœna sua natura perpetua, licet ex intentione ecclesiæ temporaria. Qui annum in excommunicatione peragit, de absolutione securus, novo jure tanquam *hæreseos* suspectus in jus vocari potest². Sed hunc rigorem ignorant terræ a fidei quæsitoribus liberæ.

1) *C. 16. X. de appell. c. 52. X. de sent. excom.*2) *Concil. Trid. sess. 25. c. 3.*

C A P. X X I I .
DE APPELLATIONIBUS.

I.

S AEPENUMERO contingere solet, ut sen- Opposi-
tentia in causis cum *civilibus*, tum *crimi-* ^{tio.}
nalibus sufflaminentur, idque vel per *opposi-*
tionem vel per *appellationem*. *Oppositio*, li-
cet¹ prohibita, in pluribus diœcesibus viget,
& locum habet, ubi vel sententia nullitatis vel
processus vitii insimulatur, coram eodem ju-
dice interponenda. Appellatio autem locum
habet, ubi sententia *injusta* esse censetur, spe-

Cc